

B R E V E

S. D. N.

V R B A N I V III.

PONT. OPT. MAX.

Quo annullat electionem Correctoris generalis Ordinis Minimorum S. FRANCISCI de Paula, trium Collegarum, ac Zelosi, seu Procuratoris generalis, factam in Capitulo generali celebrato Barchinonæ sub die 3. Iunij 1629. & elit in Vicarium Apostolicum Reuerendiss. P.F. Franciscum Longobardum, in Zelosum Adm. R. P. Fr. Simonem Bachilier, in Collegas verò Adm. RR. PP. nempe Italum F. Ignatium de Neapoli, Hispanum Fr. Ioannem Piña de Celis, Gallum Fr. Ioannem Chermarech omnes eiusdem Ordinis professores, usque ad Capitulum generale proximè celebran. inclusiue.



ROMAE, Ex Typographia Rev. Cam. Apost. 1630.



V R B A N V S

P A P A V I I .

Ad futuram rei memoriam.



N I V N C T I Nobis Apostolici muneris ratio postulat, ut circa statum Religiosorum ordinum in Ecclesia Dei militantium salubriter dirigen mentis nostræ aciem assiduè intendamus, atq;

in his eiusdem muneris partes sedulo impendamus, quæ prospero, fœliciꝝ; illorum statui, & directoni conspicimus in Domino expedire. Cum itaque in Congregatione Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super negotijs Fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula à Nobis deputatorum sæpius actū fuerit de validitate Capituli generalis eiusdem Ordinis in Ciuitate Barchinoneñ vltimo cele-

A 2 brati



R.99070

brati, Nos ipsius Congregationis relatione, ac
sententia audita, iustis de causis animum nostrū
mouēn, electiones Correctoris generalis in per-
sona dilecti filij Simonis Bachelier eiusdem Or-
dinis professoris, necnon trium Collegarum, ac
Zelosi, seu Procuratoris generalis Ordinis præ-
dicti in dicto Capitulo factas Apostolica auco-
ritate, tēn præsentium cassamus, ac nullas
esse, & fore declaramus: Necnon Franciscum
Longobardum ipsius Ordinis Vicarium Apo-
stolicum vsque ad futurum generale Capitu-
lum: Zelosum verò, seu Procuratorem Ordinis
eundem Simonem, Collegam Italum Ignatium
de Neapoli, Collegam Hispanum Ioannem
Piña de Celis, & Collegam Gallum Ioannem
Chermarech dicti Ordinis professores dilectos
filios auctoritate & tēn prædictis constituimus,
& deputamus: reliquas autem electiones, &
acta quæcunque eiusdem Capituli confirmamus.
Præterea Vicarium generalem dicti Ordinis si-
ue à Sede Apostolica pro tempore deputatum,
siue a Capitulo electum de cætero nullatenus
posse immediate eligi in Correctorem genera-
lem, sed tamdiu debere ab officio vacare quam-
diu Vicarius generalis extiterit, sicq; obseruari,

& ita



& ita per quoscumque Iudices, & Commissarios
quauis auctoritate fungentes, ac S.R.E.Cardina-
les, etiam de latere Legatos, ac Sedis Apostoli-
cæ Nuncios iudicari, & diffiniri debere, ac irri-
tum, & inane, si secus super his à quoquam
quauis auctoritate scienter vel ignoranter con-
tigerit attentari decernimus. Non obstante con-
stitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac
quatenus opus sit dicti Ordinis etiam iuramen-
to, confirmatione apostolica, vel quauis firmi-
tate alia roboratis statutis, & consuetudinibus,
priuilegijs quoque indultis, & litteris apostoli-
cis sub quibuscumque tñ, & formis, ac cum
quibusuis clausulis & decretis in contrarium
præmissorum quomodolibet concessis, confir-
matis, & innouatis. Quibus omnibus & sin-
gulis illorum omnium tñ præsentibus pro
expressis habentes, illis aliás in suo robore
permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, &
expressè derogamus, cæterisq; contrarijs qui-
buscumque. Datum Romæ apud S. MARIAM
Maiores sub Annulo Piscatoris die xxij. Martij
M. DC. XXX. Pontificatus Nostri Anno Septi-
mo.

M. A. Maraldus.

